

Czchoslaus<sup>t</sup> pincerna Calissiensis, comes Derslaus venator Lendensis, cum aliis quam pluribus baronibus terrae nostrae. Actum in civitate Caliss in crastino Assumptionis Beatae Mariae Virginis [16 VIII], anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quarto, octavo [sic] Calendas septembrius<sup>u</sup>.

Nos igitur iure ipsorum diligenter considerato et inspecto statuto praedecessorum nostrorum confirmare eo magis quam monere aliqualiter decernentes benemeritis ipsorum desiderii favorabiliter inclinati, exnunc praedicta omnia innovamus, roboramus et ratificamus in titulum perpetuae firmitatis, in horum autem evidentiam praesen[te]s sunt nostro sigillo insignitae. Actum Cracoviae die Beatorum Martyrum Dyonisii et Sociorum eius [9 X], anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo quarto. Praesentibus his nobilibus nostris: Spicimiro castellano Cracoviensi, Niszczyngio Sandomiriensi, Nicolao palatino Cracoviensi, Andrea venatore Krzywosande, succamerario Cracoviensi et aliis multis fide dignis. Datum per manus Sbignei praepositi et cancellarii nostri Cracoviensis.

**V. ALEXANDER REX CONSuetudines TERRAE  
CRACOVIENSIS CORPORI IURIS ADSCRIPTAS ET  
APPROBATAS CONFIRMAT<sup>i</sup>**

Quamvis Nos Alexander Rex praescripserimus superius omnes passus ac privilegia iustitiae communis per olim praedecessores nostros Duces atque tandem Reges Poloniae ad iustitiam communiter ministrandam regnolis in isto inclito Regno Nostro concessa, sub tempore quibus cum iudices terrarum iustitiam et negotia iudicia absolvere dirigereque consueverint, tamen quia ultra haec quaelibet terrarum suas speciales habere consuevit consuetudines, idcirco terrae Cracoviensis eas quae in ipsa approbatae sunt praesentium communi iuris terrestris Regni Nostri corpori adscriptissimus easque approbabimus et pro iure perpetuo tenendas decrevimus, adscribimusque approbamus et decernimus praesentium per tenorem, quae quidem consuetudines inscriptae sequuntur.

[1]. <sup>a</sup>De inscriptione castrensi<sup>a</sup>.

Item dum aliquis inscritbit alicui in iudicio castrensi inscriptionem et promiserit inducere in librum terrestrem aut regalem et non compleverit ad tempus prout se inscrispsit succumbens poenam iudicio trium marcarum et totidem parti; istud facere teneatur, quod in iudicio castrensi inscrispsit.

[2]. <sup>b</sup>Casus de minorenibus pueris iudicandis<sup>b</sup>.

Item cum aliquis bona haereditaria vendet aut obligabit sive impignorabit alicui et inscribet se pro defensione, et in hoc privaretur vita, filii eiusdem defuncti debent tueri residentem in bonis haereditariis, et si annos discretionis non haberent non debet dari eis ad annos discretionis.

[3]. <sup>c</sup>De bonis minorenibus pueris resignatis per pueros non inscribendis<sup>c</sup>.

Item quemadmodum ex statuto communi tutores tenentur resignare bona puerorum dum habebunt annos quindecem, pueri vero bona sua accipiendo uti debent eis, sic nihilominus iure sit provisum, prout fieri consuevit, quod ipsi pueri bona vendere obligareque non debeant, sine consensu amicorum consanguineorum donec habebunt annos viginti quatuor transactos.

<sup>a-a</sup> O za pyszye groczkyem *Dzik*.

<sup>u</sup> Tu kończy się przedruk w *KDWp*.

<sup>b-b</sup> Przycze o sądzeniwy dzyczy lyath nyemayących *Dzik*.

<sup>c-c</sup> O mynyenu wzdanem dzyczyom miodem przez dzyczy nyezapyszanem *Dzik*.

<sup>i</sup> Tekst ten, przejęty z niedochowanej do dzis podstawy źródłowej, wydrukowany został w Statucie Łaskiego na k. 120-124. Jego polski przekład z rękopisu tzw. *Dzikowskiego* wydał drukiem F. Piekosiński (Archiwum Komisji Prawniczej AU, t. III, Kraków 1895, s. 164-171). Nosi on tam tytuł: *Zwyczaye zyemye crakowskiey ku statutom zyemszkiem przypyssane y doszwyathczone*. Cyt. poniżej w skrócie: *Dzik*.

[4]. <sup>d</sup>-De inscriptione uxoris<sup>d</sup>.

Item uxor marito suo nihil inscribat sine consensu amicorum, etsi inscritbit illud nullius roboris sit.

[5]. <sup>e</sup>-De crinili nuptarum virginum<sup>e</sup>.

Item dum aliquis copulat sibi matrimonialiter virginem seu puellam et privatur vita non reformans eidem uxori, extunc talis uxor accipiet pro crinili marcas triginta, aut possessionem ubi trium marcarum esset proventus, habebit tamdiu donec sibi persolveret crinile tenendam, quae non tenetur equitare de bonis, ubi eam maritus morte reliquit alias *odumarl* usque quo dabuntur ei aut triginta marcae pro crinili, aut trium marcarum proventum alias censem sibi constituent mariti successores.

[6]. <sup>f</sup>-De ministeriali in primo termino ante responcionem dando<sup>f</sup>.

Item cum aliquis aliquem citaverit pro aliqua re, pars citata dicet: Domine Iudex, volo videre ministeriale, qui citationes portavit et cum ministeriale videbo, volo respondere quod iuris erit, extunc non tenebitur respondere donec videbit ministeriale, qui citationes portavit, etsi actor protunc non habebit ministeriale, potest sibi differre, alias accipere ad proximos terminos pro ministeriali statuendo.

[7]. <sup>g</sup>-De tempore ad interrogandum in iudiciis servando et interrogatione per partes non audienda<sup>g</sup>.

Item cum iudex accipiet ad interrogandum aliquam dubietatem alias rem, ulterius protrahere non potest nisi ad tertios terminos, sed in tertii terminis interrogationem dicere teneatur, et iudex castrensis in sedecim septimanis debet expedire interrogationem et pro eo potest iudex moneri, si non expediverit interrogationem tempore medio ad interrogandum habitu et praeterito; cum autem fit interrogatio partes nec interrogationi interesse nec eam audire debeant.

[8]. <sup>h</sup>-De litteris per capitaneos in tribus casibus ad querelam dandis<sup>h</sup>.

Primo, cum aliquis dominam dotem habentem expellit ex reformatione. Secundo, cum frater fratri divisionem consentire non vult. Tertio, cum aliquis aliquem expellit ex pacifica tenuta.

[9]. <sup>i</sup>-De executione rei iudicatae<sup>i</sup>.

Cum aliquis super aliquo rem habuerit iudicatam alias perlucratus fuerit ius et dabitur ad brachium capitanei, extunc ille qui perlucratus est duabus vicibus, habet ad pignorandum duabus vicibus ad intromissionem et pro qualibet repercussione debet condemnare pro pignore et pro intromissione, et post hoc capitaneus debet destinare cum eo auctoritate sua aliquem suo nomine et intromittere victorem, vaduumque imponere tenebitur.

[10]. <sup>j</sup>-De data, titulo et litteris abecedarii citationes destruentis, nec ne<sup>j</sup>.

Item pro data, titulo, pro proprio nomine nemo debet causam amittare, et si aliquis defectus esset in citatione aut in concitatione, succumbens poenam trium marcarum solvet, et denuo debet citare, si in verbo littera deesset, aut si littera abecedarii male scriberetur isto nil amittet aliqua partium.

[11]. <sup>k</sup>-De malo procuratorio<sup>k</sup>.

Item aliquis manifestans se cum procuratione in iudicio si malum procuratorium seu procurationem habuerit, luit poenam in iure terrestri trium marcarum, in iure vero castrensi sex scottos, quam solus ipse procurator solvet, non principalis suus, alias non ille, a quo causam dicit.

<sup>d-d</sup> Gdy zona zapyse mazowy *Dzik*.

<sup>e-e</sup> O wyenyczv panyen zamaz danych *Dzik*.

<sup>f-f</sup> O woznem napyrwem rocze przed odpwyedzeniem danem *Dzik*.

<sup>g-g</sup> O chowanyv czaszv napythanye wsądzych y o nylesluchanyv pyythany prze strony *Dzik*.

<sup>h-h</sup> O lyśczyech przez starostą na skarga danych we trzech rzeczach *Dzik*.

<sup>i-i</sup> O wypelnyenyv prze zyszku *Dzik*.

<sup>j-j</sup> O daczye y tytlye wpozwyech *Dzik*.

<sup>k-k</sup> O ziem rzecznikv *Dzik*.

[12]. <sup>l</sup>-De citatione verbali, alias *Nadworny Rok*<sup>l</sup>.

Item pro graniciebus pro haereditate nemo potest citare citatione verbali alias *Nadwornim Rokiem*.

[13]. <sup>m</sup>-De citandis verbaliter iudicio alias de tactis<sup>m</sup>.

Item dum aliquis tactus recedet a iure, debet condemnari in perlucre, pro quo tactus est, sed si pro poena tactus fuerit et recedet non satisfaciendo pro poena, extunc aliam poenam succumbet videlicet marcas tres iudicio et parti, pro qua statim debet condemnari in perlucre.

[14]. <sup>n</sup>-De inhonorato iudicio<sup>n</sup>.

Item si quis iudicium inhonoraverit aut posuerit se in mensa ubi iudicant, poenam trium marcarum succumbet, pro quo debet satisfacere, sub alia poena quatuordecim marcarum non discedendo a iudicio.

[15]. <sup>o</sup>-De coadiutoribus citatis et non recusatis<sup>o</sup>.

Item si aliquem citabunt cum coadiutoribus, et ipse citatus non intercedit, non recusabit coadiutores, videlicet non dicet coadiutores non intercedo mihi similes et indissimiles, et alia pars interponet alias *założy ich*, ex eo quod coadiutores non recusavit, luet poenam a quolibet coadiutore sibi simili tres marcas et indissimili sex scotos, tam in iure terrestri quam castrensi.

[16]. <sup>p</sup>-De actore in termino volente probare contra citatum<sup>p</sup>.

Item dum actor querulatur super citatum, post propositionem alias post querelam dicet, si id negabit volo id probare prout ius decernet nullum ius omittendo et pars citata simpliciter negaverit, extunc propinquior est actor probare. Sed si etiam dicet pars citata volo id evadere alias *odbyć* nullum ius omittendo prout ius decernet, tunc pars citata erit propinquior evadere exceptis articulis in Statuto scriptis, pro quibus actori probatio debebitur contra citatum.

[17]. <sup>q</sup>-De actore condemnando<sup>q</sup>.

Item in terminis condemnandis castrenibus vel terrestribus usque in fine actores debent condemnari, etsi citatus prius condemnaret actorem antequam ius admittet alios actores condemnari, actori condemnato nihil nocebit condemnatio.

[18]. <sup>r</sup>-De possessione in molendino et taberna non assignanda<sup>r</sup>.

Item in tabernam et in molendinum nullus debet intromissionem dare, excepto quod aliam possessionem non haberent, extunc potest dare intromissionem in tabernam et in molendinum.

[19]. <sup>s</sup>-De dilatione termini, per infirmitatem dum inscribitur non differendus<sup>s</sup>.

Item si aliquis alicui se inscribet quamcunque rem evincere seu ratificare, alias *ziscyc*, et inscribet se terminum non differre, alias non reponere, talis non potest simplici infirmitate terminum differre alias reponere, excepta vera infirmitate, pro qua debet iurare iuxta Statutum quod infirmabatur.

[20]. <sup>t</sup>-De minuta non sigillata nihil probante<sup>t</sup>.

Item simplici minuta nihil probari potest sed tantummodo litteris aut minuta sub sigillo aut libris coram iudicio.

<sup>l-l</sup> O roku y pozwy nadwornym *Dzik*.

<sup>m-m</sup> O pozywających na dwornye wsądzye ynaczey. O nathknyonych *Dzik*.

<sup>n-n</sup> Gdy kto nyethezy sąndv *Dzik*.

<sup>o-o</sup> O pomocnykach pozwanych *Dzik*.

<sup>p-p</sup> Powod wrocze blyszy yesth dowoddzycz naprzeczywko pozwanemu *Dzik*.

<sup>q-q</sup> O zdawanyv powodv *Dzik*.

<sup>r-r</sup> O nyedopuszczeniy wyążanya w lmyn [sic] y karczma *Dzik*.

<sup>s-s</sup> Nyemoczą prosthi rok nyemoze biecz odłożony, gdy szye zapysze *Dzik*.

<sup>t-t</sup> O mynvczye nyepycząthowaney *Dzik*.

[21].<sup>u</sup>-De iniusta concitatione ad satisfaciendum<sup>u</sup>.

Item concitatus ad satisfaciendum, non potest aliquod sibi in auxilium recipere contra actorem, excepto quod condemnatio minus iusta eset in perlucre, vel si nomen aliud eset scriptum in citatione quam in concitatione, etsi concitatio ex hoc eset mala, videlicet ex conditionibus superius descriptis, tunc actor amittit id pro quo citavit.

[22].<sup>v</sup>-De impossessionatis citandis<sup>v</sup>.

Si impossessionatus seu *odartus*, alias *holota* cuiquam reus eset in aliquo, respondebit cuilibet in iudicio castrensi pro re qualibet. Item si aliquis culpabilem in aliqua sua re impossessionatum hominem arrestaverit apud possessionatum quam arrestationem facere debet cum ministeriali veniens, tunc ille possessionatus tenetur in una septimana illum impossessionatum coram capitaneo statuere, qui impossessionatus statutus coram capitaneo fideiussores pro se daturus seu sessurus parebit iuri; etsi idem possessionatus illum impossessionatum non statuet, tunc solus ipse possessionatus respondebit actori pro re, pro qua impossessionatus est culpatus. Item si homo impossessionatus non posset arrestari in alieno loco, tunc in qua parochia aliquando erat possessionatum in illa contra eum debent poni citationes ibique ministerialis clambit quod contra talem, A. b. impossessionatum citationes ponuntur, quae talium citationum in parochiis positio haeredi bonorum illorum ubi est parochia nihil nocere debeat.

[23].<sup>w</sup>-De actore citante et non continuante processum iuris<sup>w</sup>.

Item aliquis aliquem citando si condemnaverit una vice et ulterius nihil faceret usque ad decursum unius anni et sex septimanarum. Item si etiam aliquis aliquem citando in termino nihil faceret contra partem citatam, etsi etiam pars citata nihil faceret, sicque si terminus lapsus eset alias *przepelnie*, si actor intra cursum eiusdem temporis unius anni et sex septimanarum ad terminum lapsum nihil faceret, tunc decurso isto tempore amittit actor id pro quo citabat, excepto quod iudicia ex aliqua necessitate suspensa fierent, tunc citationi actoris prorogatio longi temporis nihil nocebit.

[24].<sup>x</sup>-De citatione super citationem facta<sup>x</sup>.

Item si quis importaverit citationem super citationem pro una re, tunc luens poenam trium marcarum iudicio, et totidem parti, citationem unam destruat, seu una citatio eiusdem sit nulla.

[25].<sup>y</sup>-De abrenuntiatione proprii districtus<sup>y</sup>.

Item si quis renunciabit terrae et proprio districtui, debet respondere ibi, ubi renunciando se inscrisit, et cum super tali res obtinebitur iudicata, alias perlucrabitur, idem qui ius perduxit, equitabit ad capitaneum illum, sub quo manet victus, capitaneus tandem ille executionem facturus sit rei iudicatae, alias illorum perlucrorum in alio districtu iure obtentorum.

[26].<sup>z</sup>-De termino facientus alias facionato<sup>z</sup>.

Item terminus facientus datus, alias qui facionatus dicitur in una septimana dari debeat, sic dum res aliquae arrestantur cum ministeriali, tamen si non restituit ille apud quem sit arrestatio, ponit terminum ministerialis illi, apud quem est arrestatio facta comparendi coram capitaneo in una septimana.

[27].<sup>aa</sup>-De nobilibus quo numero cum ministeriali habendis<sup>aa</sup>.

Item dum actor aliquis testificatur aliquid coram ministeriali seu per eum, tunc actor ipse nobiles duos habiturus est cum ministeriali, sed cum ministerialis cum citatione equitat, tunc sufficit eum nobilem habere unum.

<sup>u-u</sup> O nyesprawnym przypozwanyv kv doszycz vczynyenyv *Dzik*.

<sup>v-v</sup> Gdy pozywayą nyeoszyadle *Dzik*.

<sup>w-w</sup> O powodzy pozywayaczym a nyepatrzączeego vstawicznye prava *Dzik*.

<sup>x-x</sup> Pozew wnyeszony napozew *Dzik*.

<sup>y-y</sup> Wyrzeczenye zwlasznego powyattv *Dzik*.

<sup>z-z</sup> O roku lyczowanem *Dzik*.

<sup>aa-aa</sup> Wyelye zyemyanow ma bycz sluzebnykyem kv szwyadeczthwv *Dzik*.

[28].<sup>ab</sup>-De corilo<sup>ab</sup>.

Item si aliquis aliquem provocaverit in lite pro corilo alias *zalaska* pro perditione ac pro lucro, sive tres marcas sive sex scottos proponet ad corilum, tunc provocatus ad corilum<sup>ac</sup> arbitrium habebit eligendi, ut sumat corilum<sup>ad</sup> sive pro tribus marcis sive pro sex scottis.

[29].<sup>ae</sup>-De iudicio pro pecore in damno abacto<sup>ae</sup>.

Item si aliquis alicui pecus detinet alias *zaymie* de damno et noluerit illud dare ad fideiussionem, cum fuerit monitus per nobiles et ministeriale, pro tali non datione debet citari ad ius castrense et luens poenam trium marcarum debet dare pecora ad fideiussionem, cum deducetur prius quia illud dare noluit ad fideiussionem, fit autem istud ideo ut pecora non destruerentur propter longaevam detentionem et item ea ratione quia iure terrestri non cito adiri posset restitutio pecoris illus abacti, pro poena autem illa iudicium castrense iudicabit, sed pro damno illato iudex castri partes ad ius terrestre remittet.

[30].<sup>af</sup>-De pecore dato ad forestam regiam dum per nullum cuius esset fide iubetur<sup>af</sup>.

Item si aliquis pecus alienum in damno abegerit aut simpliciter servaverit, teneatur illud dare in triduum ad forestam regiam alias *do obory*, ubi si aderit dominus pecoris dabitus sibi ad cautionem fideiussoriam, et pro damno remittentur partes ad iudicium terrae. Si autem dominus pecoris non esset, tunc cum pecus daretur ad forestam regiam, tunc iste qui servat abactum pecus fideiubebit, quod fideiussione facta dandum erit ei viceversa servandum in cautione fideiussoria ad duas septimanas quibus decursis iterum pecus praesentabit in foresta et iterum burgrabiis forestae restituet ei pecus in cautione fideiussoria per alias duas septimanas, fieri autem istud potest ad alias tertias duas septimanas videlicet pro tercia vice fideiubendo et pro qualibet vice abactor seu conservator pecoris dabit burgrabio fertonem iuris regii, in ultimis duabus septimanis conservatori in cautione praefixis, si dominus pecoris veniet dandum sibi erit pecus in cautione fideiussoria pro damno vero remittantur partes ad ius terrestre, si non veniet dominus pecoris, tunc conservator pecoris praesentando pecus burgrabio in foresta habebit medietatem pecoris tanquam iure lucratam et medietas debetur mensae regiae seu ad mensam regiam. Cum autem fit ipsa pecoralis divisio inter partem regis et partem conservatoris, conservator et pro damno et pro illis tribus fertonibus, pro iure regio in foresta datis medietate contentus sit pecoris seu pecudum.

[31].<sup>ag</sup>-De non dato pecore ad forestam regiam<sup>ag</sup>.

Item si aliquis alicuius pecora habuerit quocunque modo et ea non dederit ad forestam regalem, alias *do obory* ad diem tertium, tunc si apud eum arrestabuntur per ministeriale et per duos nobiles, citatus in castro respondebit et restituet pecora cum poena trium marcarum. Sed iudex castri pro damno partes non iudicabit sed remittet ad terrae iudicium.

[32].<sup>ah</sup>-De arrestandis pecuniis<sup>ah</sup>.

Item homini possessionato non debent pecuniae arrestari, excepto quod si minorem possessionem haberet quam illud pro quo citatur tunc pecuniam fideiubebit ex arresto, quia videlicet parebit iuri et iudicatis.

[33].<sup>ai</sup>-De mutuatis pecuniis iure repetendis<sup>ai</sup>.

Item si aliquis alicui pecuniam mutuaverit et inscriptionem non habuerit citaveritque mutuatarium, tunc mutuarius alias citatus iuramento praestito ab instantia petentis et debiti petitione absolvetur.

<sup>ab-ab</sup> O iyaseze *Ozik*.

<sup>ac</sup> Corinum *VL*.

<sup>ad</sup> Corilnum *VL*.

<sup>ae-ae</sup> Bydla s skody zayqthe *Dzik*.

<sup>af-af</sup> O bydlyaczny do kroliewskiey obory danem, gdi go nyewyrąca Dzik.

<sup>ag-ag</sup> O nyedanyv bydlyaczya do obory krolyewszkyey *Dzik*.

<sup>ah-ah</sup> O zapowyedanyv pyenyadzy *Dzik*.

<sup>ai-ai</sup> O pożyczanych pyenyadzoch *Dzik*.

[34]. <sup>aj</sup>-De testimonio ministeriali de alia terra in aliam faciendo<sup>-aj</sup>.

Si alicui necesse fuerit ministerialem producere ex alia terra in aliam terram, et non poterit ministerialem educere, tunc illum debet ducere ad iudicium castrense illius districtus ubi est ministerialis, ibique idem ministerialis debet facere recognitionem et ille cui debet recognitio esse litteras accipiat a iudicio illo, ubi sit recognitio ad aliud iudicium ad quod ducendus erat ministerialis, quae litterae sint sub sigillo iudicij illius vel capitanei ubi recognovit, et tandem talibus litteris credendum erit, uti ministerialis personaliter stetisset et recognovisset.

[35]. <sup>ak</sup>-De intercisis citationum componendis<sup>-ak</sup>.

Item dum aliquis fuerit citatus ad quocunque ius et pars vult videre si concordant intercisiae, tunc citationes componendae erunt, et si sunt conformes earum intercisiae valet citatio, nam si intercisiae sunt non uniformes alias si non concordant, tunc actor amittit causam suam, ex eo quia praesumitur falsificatio commissa.

[36]. <sup>al</sup>-De concitatione non scribenda ad respondendum iudicialiter<sup>al</sup>.

Item in concitatione non iudicialiter responsurus, sed iudicialiter satisfacturus scribi consuevit et scribendus est.

[37]. <sup>am</sup>-De petitione insimul et condemnationis et poenae<sup>-am</sup>.

Item dum aliquis postulat et condemnationem alias *odbycia* et poenam pro citatione mala, non condemnatio neque utrumque sed poena duntaxat decernatur petenti.

[38]. <sup>an</sup>-De intromissione cui in inscriptione debitor abrenunciata danda cum poena<sup>-an</sup>.

Item cum aliquis citatus fuerit pro quacunque re, pro qua non inscriperat se, ipse autem citatus nolens admittere se damnificari dat circa iudicium intromissionem, tunc suscipienda est intromissio per citantem, sed si citatur aliquis pro re vel pro debito inscripto sic, quod inscriptionem fecerat quia debuit solvere non dando intromissionem sed principale seu originale debitum soluturus esset prout se inscripsit; talis si citatur in termino non satisfaciens, si intromissionem actori dare vellet, cui dandae intromissioni citatus in sua inscriptione abrenunciavit, decernendum est quod citatus non aliter quam cum triplici poena trium marcarum intromissionem dabit in re debita usque ad satisfactionem et pro ipsa re principali et pro poenis faciendam, quam intromissionem actor cum triplicata trium marcarum poena recipere teneatur.

[39]. <sup>ao</sup>-De termino pro maiori dari solito<sup>-ao</sup>.

Item dum aliquis differt terminum pro maiori dicens quia in iure alio pro maiori haberet actionem danda, erit dilatio propter maiorem actionem, attamen termino adveniente ipse differens terminum, probabit litteris testimonialibus iudicialibus quod pro maiori habuerit tunc actionem, quibus si caruerit, amittet causam pro qua citatus terminum pro maiori differebat.

[40]. <sup>ap</sup>-De condemnatione iniusta<sup>-ap</sup>.

Item dum aliquis aliquem condemnaverit iniuste, condemnatus arrestabit condemnationem in libro, et si citaverit pro iniusta condemnatione, tunc ille qui sic condemnavit debet luere poenam trium marcarum et condemnationem describere de libro, sed si condemnatus non arrestaverit condemnationem, tunc ille qui condemnavit potest describere sine poena<sup>ad</sup>.

<sup>aj-aj</sup> O szwyadecztywe sluzebnyka zynszej zyemye do drugiej *Dzik*.

<sup>ak-ak</sup> O skladany interczysz pozwow *Dzik*

<sup>al-al</sup> O nyepsanyv przypowyszczenia *Dzik*.

<sup>am-am</sup> O proszenyv pospolu zdanya y vyny *Dzik*.

<sup>an-an</sup> O wyżanyv ktoremy wzapsye dlużnyk odrzekł zvyną *Dzik*.

<sup>ao-ao</sup> Odloženyé rzeczy dla roku wyłączego *Dzik*.

<sup>ap-ap</sup> O nyesprawyedlywem zdanyv *Dzik*.

<sup>ad</sup> Na tym kończy się przekład Consuetudines w *Dzik*. Po artykule 40 następuje zdanie: [Thelko] vstaw zyemye crakowskyey przez oswyeczonego Aliexandra krolya danich ytez potzwyerdzonych etc.

Alexandri Regis admonitio ad consuetudines iuris ubique terrarum habendas.

Puncta suprascripta Nos Alexander Dei gratia Rex, ex consuetudinibus tam terrestris quam castrensis iudiciorum terrae Cracoviensis collegimus quae iuri corporis adscripta decernimus in terra Cracoviensi pro plebiscito privato terrae eiusdem tenendo perpetua. Quod decretum nostrum etiam universis aliis terris praesentium tenore innotescimus consultive hortando, ut pro iustitiae cultu conservationeque aut istas approbent, aut instar istarum suas scribant in papyri litteris, quam in numero XII foliorum isto loco relinquimus<sup>2</sup> et cuilibet terrarum eadem folia damus, sic tamen ut dum reliquae terrae suas scripturae essent consuetudines, primum eas nobis vel successoribus nostris offerent, per nos in stylum congruentem redigendas, quas tandem in stylum redactas. Nos vel successores nostri ad libros Statutorum praesentium in terra ipsa de qua consuetudines nobis porrectae essent existentium in XII foliis praedictis fideliter scribendas restituturi sumus successoresque nostri restituent, per appositorum Maiestatis Regiae decretum, emendatas, moderatas et approbatas.

#### VI. ALEXANDER REX INSERIT STATUTO LASKI FORMAS IURAMENTORUM<sup>a</sup>

[1]. Regis iuramentum, quod etiam Nos Alexander praestitimus.

Ego A[lexander] Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae etc. dominus et haeres. Iuro, spondeo et promitto ad haec Sancta Dei Evangelia, quod omnia iura, libertates, privilegia, litteras, immunitates Regni mei Poloniae ecclesiasticas et saeculares, ecclesiis Regno quoque Poloniae, eiusdemque praelatis, principibus, baronibus, nobilibus, civibus, incolis et quibuslibet personis cuiuscunque status ac conditionis existentibus, per divos praedecessores meos principes, reges et quoscunque dominos ac haeredes Regni Poloniae, praesertim vero divos Casimirum antiquum, Loysch, Vladislauum avum, Vladislauum patrum, Casimirum patrem et Joannem Albertum germanum meos, Reges Poloniae, iustas et legitimas donatas, manutenebo, servabo, custodiam et attendam, in omnibus conditionibus aut punctis et omnia illicite ab eodem Regno alienata aut distracta pro posse meo, ad proprietatem eiusdem Regni mei aggregabo, terminos etiam Regni mei Poloniae non minuam, sed pro posse meo defendam et dilatabo. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

[2]. Iuramentum consiliariorum Regni.

Ego J. iuro, quia Serenissimo Principi et Domino, Domino A[lexandro] Regi Poloniae fidelis ero, pro eiusque maiestate et Republica Regni sui fideliter consulam, secreta quae mihi per suam Maiestatem et consiliarios eius dicentur contingentia vel Maiestatem Regiam, vel Rempublicam, aut utrumque nemini in iacturam Regiam et Reipublicae pandam, et pro posse meo utilitates Regiae sua Maiestatis Regni et Reipublicae augmentabo, quidquid vero scivero, intellexero aut sensero, suae Maiestati Regiae, Regno et Reipublicae nocibile et damnosum praecustodiam et ne fiat me opponam et illud avertam. Sic me Deus adiuvet et hoc Sacrum Evangelium, aut haec Sancta Crux.

[3]. Iuramentum Magistri Generalis in Prussia et commendatorum eius.

Ego L. Magister Generalis Ordinis Sanctae Mariae Virginis Theuthonicorum Princeps et Consiliarius Regni Poloniae iuro, quod ab hac hora et deinceps fidelis ero Serenissimo Principi Domino K. Regi et successoribus suis Regibus et Regno Poloniae et profectum illorum fideliter procurabo et negotiis Regis et Regni fideliter consulam et secreta quae mihi qualitercunque communicata fuerint, in eorum detrimentum nulli pandam, pacem insuper perpetuam in omnibus suis conditionibus et articulis observabo et custodiam. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Crux.

<sup>a</sup> Przejęte do VL, t. I, s. 334-338, ze Statutu Łaskiego, k. 161 nn.

<sup>2</sup> Wzmianka ta odnosi się do 12 kart czystych, pozostawionych w Statucie Łaskiego bezpośrednio po tekście Consuetudines terrae Cracoviensis, na spisywanie zwyczajów prawnych innych ziem.